DE NEXU PARTIUM VITALI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giuseppe Dal Lago

DE NEXU
PARTIUM VITALI
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

CAPESSENDOS

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROPONEBAT

JOSEPHUS DAL LAGO

TYROLENSIS A CLESIO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXV.

LEONARDO · DAL · LAGO

PARENTI · OPTIMO

HOC · PRIMVM · STVDIORVM

SPECIMEN

AMORIS · ET · GRATI · ANIMI · TESTIMONIVM

DICABAT

FILIVS · OBSEQVENTISSIMVS

Ut recta statuatur morbi alicujus diagnosis (pars medicinae gravissima) non solum ea omnia probe scire medicum oportet, quae ad morbi naturam, characterem et indolem attinet, sed praecipue quae sit ejus sedes, ut auxilia therapeutica e scientiae praeceptis administrari possint. Sed cum leges illae non accurate noscantur, quae animalis texturam in statu sano, et morboso moderantur, et praesertim quia phaenomena negliguntur a plerisque, quae sub nomine nexus vitalis a physiologis et pathologis designantur; idcirco in morborum sedibus constituendis saepissime medici in errorem labuntur, ideoque in auxiliis therapeuticis etiam adhibendis frequenter caecutiunt. Unicuique pathologorum sat clare innotescit influxus, quem sympathiae exerunt, dummodo saltem perpendat, quam saepe stomachi sordes, nullum aliunde dolorem in ipso excitantes, in delicatis hominibus inducant cephalalgias, vertigines, delirium, et quam saepe calculi renales, vomitum cieant in iis, quibus nullum alium sensum molestum, calculorum affert praesentia. Medicus qui

sympathiam, quae inter diversas organismi humani partes intercedit, ignorat, semper ambigui consilii est, quotiescumque aegroto opem ferat, in quo symptomata multa in scenam prodeunt: nec rationem qua oriantur agnoscens, morbum complicatum pronunciat: nescit enim, unde tot malorum agmen derivari possit. Hinc remedia varia diversis symptomatibus apta, et ubi ex. gr. cephalalgia urget, statim ad cephalica nonnulli confugiunt; ubi calor intensus dominatur, refrigerantia suppeditant, et sic porro. Plerumque vero, quod risum movet, remedia virtute differenti, et quandoquidem contraria praedita simul jungunt, ut quodvis ipsorum ad singulam partem adfectam per vias distinctas transeat, et statui normali unamquamque restituat. Exinde illam habemus remediorum purgantium catervam, quae scientiae medicae dedecori est, quando remedium simplex et unum, ad partem adfectam directum, plerumque valet morbum cum omnibus ejus symptomatibus eradicare; nam haec a morbo frequenter pendent, et symptoma fere semper ad morbum est, uti effectus ad causam.

Tamen negare non audeo (quod experientia haud raro confirmat) partes consensu adfectas lapsu temporis in statum morbosum transire posse, quin primarius morbus sit incusandus. Pariter morbos quandoque complicatos esse non nego, immo incommoda multa morbum aliquem sequi concedo, quin ea a sympathiis originem ducant. Cursu lentae hepatitidis ex. gr. facies mutatur,

corpus macrescit, oculi languent etc. Phaenomena haec pendent ab affecto jecinore; verum cum illis confundenda non sunt, quae consensum hepatis cum aliis partibus consequuntur. — Cum ex praemissis animadversionibus eluceat, magnae utilitatis esse scientiam phaenomenorum consensualium cognoscere ad rectam adfectionum diagnosim statuendam, et idoneam ipsis therapeuticen adcommodandam; consilium cepi hac faustissima et exoptata die, qua de argumento aliquo ad medicinam spectante coram Vobis dicere mihi mandatum est, celeberrimi Praeceptores, de generali consensu partium nonnulla proponere, in ea spe confisus, quam in me semper conspectus et comitas Vestra excitavit, ut videlicet dicentem me eadem ac discentem benignitate prosequamini.

Inter singula animalis organa admirabilis nexus et perfecta harmonia viget. Ipsa mutuum influxum ad invicem exercent; mutuas sibi opes ferunt, et in eundem praestantissimum finem conspirant. *Confluxio una*, scripsit Hippocrates, *conspiratio una*, *consentientia omnia*. Dispositio naturalis, vel fortuita, quae adest inter duo, vel plura organa, per quam aut unum, aut utraque adfectiones plus vel minus graves in aliqua parte vel organo excitatas persentit, sympathia, vel consensus vocatur. *Un organe est en sympathie avec un autre*, ait illustris Barthez, *lorsque certaine impression perçue par la cause de l' individualité vitale dans un de ces organes détermine cette cause*

à produire dans, l'autre une affection insolite de sensation, de mouvement, ou de quelque espèce que ce soit.

Sympathiae vel ad phaenomena physiologica, vel ad pathologica pertinere possunt: ad priora, cum pars in statu sano ad actionem incitata non abnormem aliquam mutationem in parte altera plus vel minus remota inducit; ad pathologica vero, cum pars aliqua morbo detenta mutationes morbosas in partibus dissitis ciet. Haec autem ab illis non differunt, nisi ob effectus: in pathologica enim sympathia excedit plus vel minus modum, quem ultra sanitas laesionem patitur; in physiologica vero intra limites sanitatis circumscribitur. Si labores et studia anatomicorum, et physiologorum perillustrium sedulo consideremus, liquido nobis elucet magnum momentum, quod systemati nervoso physiologi tribuunt, in miris oeconomiae animalis functionibus explendis, et quod maximam symbolam praestet, in perturbationibus innumeris excitandis, quibus homo conflictatur, atque in hoc omnes fere uno ore conveniunt. Illustris Haller magnum hujus systematis momentum in libro IX Elementorum Physiologiae ostendit. Vesalius anatome instaurator, Villis, Lancisius demonstrant, quantum nervi in oeconomia regenda et moderanda valeant. Ad systema nervosum, ait Cullen, tot tantaeque functiones referendae sunt, ut ejusdem studium satis commendari non possit; nam ipsi fundamentum cujusvis doctrinae physiologicae innititur. De la Ro-

che vestigia Cullenii persequens, in capite primo operis sui adfirmat, per nervos tantummodo nos relationes cum omnibus rebus habere, quibus circumdamur; per nervos nos vivere, et ipsos in oeconomiam animalem praecipue agere. *C'est seulement par le moyen des nerfs, que nous pouvons communiquer avec tout ce qui nous environne, ce n'est que pas eux que nous vivons, et ils sont le principal agent de l'économie animale* (1). Bruno haud haesitans, sedem incitabilitatis in systemate nervoso ponit: *incitabilitatis in animato corpore sedes, materia nervosa medullaris est* (2). Tommasinius sic loquitur: *Il sistema nerveo è la base o l'organo più esteso dell'eccitabilità animale, il veicolo, direi quasi, per cui s'insinua, e si spiega in tutte le fibre della macchina l'azione di ciò che è fuori di loro, lo stromento quindi per cui gli organi risentono l'impressione degli esterni stimoli e degli interni, e per cui l'eccitamento che ne risulta propagasi di fibra in fibra, dalla periferia al centro, siccome dal centro alla periferia diffondonsi le affezioni (che in seguito al suddetto eccitamento) si generano nell'interno della macchina.* Exinde patet systema nervosum esse praecipuum fontem, a quo phaenomena fabricae animalis promanant. Van-Swieten et Camper id clare adfirmant. Ipsi risum sardonicum uti effectum sympathiae ner-

(1) De la Roche, Analyse des fonctions du système nerveux. Part. I. chap. I.

(2) Brown, Elementa medicinae cap. IV.

vosae habent, et clariss. Mekel tamquam productum sympathiae, quae inter nervos phrenicos et cervicales est. Sed inter ceteros celeb. Sprengel id nos docet: *Consensus est nervorum potissimum conjunctione stabilitus, qui ubi duo organa ita adsunt, ut ex eodem fonte fluant, aut intime secum cohaereant, facultatem utrique impertiant organo actiones participandi. Hinc vero praestabilita est harmonia organorum quae nullo acquiritur exercitio. Qui solem adspicit meridianum, sternutare solet, quod naso-ocularis ramus quinti paris utrique prospicit organo. Si angore capiuntur pulmones, pone aures pruritus sentitur, quod auriculares posteriores rami facialis nervi cum nervis cervicalibus cohaerent* (1).

Per systema nerveum non solum omnia explentur phaenomena, quae ad vitam animalem spectant, sed etiam illa, quae vitae organicae sunt propria. Et reapse a nervis omnia organa sensibilitatem habent majorem, vel minorem; et si recidantur nervi, qui ad singulas partes se se ferunt, hae insensibiles evadunt, neque amplius functiones iisdem proprias amplius explere valent. Si ergo per systema nerveum omnes functiones peraguntur, etiam sympathia ab influxu nervoso pendet, nam sympathia est phaenomenon vitale.

Sunt tamen physiologi nonnulli qui arbitrantur, textum cellularem, membranas et vasa sanguife-

(1) Sprengel, Physiologia Tom. I. caput VI. De vis vitalis effectibus et causis § 74. pag. 207. Mediolani 1816.

ra vias esse per quas sympathiae locum habent, et alii censent a similitudine structurae et functionis partium eas dependere. Re autem adcuratius perpensa, facile unicuique patet cellularem textum, membranas et vasa neque aptam habere structuram, neque iis fungi functionibus, quae impressionis aut stimuli communicationi faveant. Textus enim cellulosus si nervis careret, functiones suas haud expleret. Concedo ipsius textus cellulas libere invicem communicare, et aerem, aquam, materiam purulentam aliosque humores, et corpora etiam solida ex altera in alteram corporis partem etsi remotam transire: ast satis elucet istiusmodi phaenomena a sympathiis plurimum differre. Systema sanguiferum pariter sympathiis inservire nequit; nam irritatio aut passio quaecumque per omnes partes explicaretur cum sanguine, dum e contra sympathia solummodo observatur inter unum viscus atque alterum, neque ab abscessu hepatis crura aut brachia laborant, etsi eodem sanguine perfundantur. Prorsus non negarem continuitati membranarum nonnulla phaenomena tribui posse; verum et membranae nervis scatent, quibus solis sensilitas inest. Reapse, si calor et dolor quem in extremitate penis experiuntur ii, qui calculo in vesica urinaria torquentur, a continuitate membranae genito-urinariae originem ducerent, initium urethrae, quae in collo vesicae respondet, prae anteriori dolorem et calorem pati deberet. Eadem ratione si narium pruritum membrana deferret in illis qui ver-

mibus intestinalibus laborant, cur non oesophagus potius quam nares, et oculorum iris de vermium praesentia nos redderet certiores? Denique sunt alii, qui censent, partes aliquas cum aliis nexum habere, ob similitudinem structurae et functionis. Sic, ipsi ajunt, mammae ex. gr. in nexu sympathico sunt cum utero ob analogam ipsarum partium structuram et functionem. Quaenam vero analogia inter glandulam conglomerati generis, et viscus cellulosae et muscularis structurae? Quae functionum communio inter menstruum fluxum et lactis secretionem? At titillatio mammillae, addunt illi, peculiari sensu afficit muliebria. Do equidem rem ita se habere, verum nonne titillatio ipsos nervos afficit? Nonne ab imaginationis vi, scilicet a potentissima nervorum actione phaenomenon potius est repetendum? Igitur jure ac merito vestigiis clar. Sprengel insistens concludam: *Cellularis tela, et vasa ipsa nequaquam per se conducunt nisi sint nervis pertexta;* addendo partes structura et usu similes nonnisi per nervos inter se sympathiam habere.

Nunc statuendum, an pars aliqua morbo detenta consensum cum altera ostendat ob connexionem nervorum, vel potius an connexio illa semper interventum gangliorum exposcat. Si rationi et observationibus innixi judicium hac de re ferre mallemus, statuere sane cogemur, impressiones in nervos actas directe ad cerebrum propagari, vel ad medullam spinalem, vel ad ganglia. Ex praeceptis logices hoc posito nunc facile intelli-

gitur quomodo pars aliqua in nexu cum altera sit, quamquam ambae nervos ab ipso trunco non accipiant, neque ipsarum nervi inter se communicent. Si autem amor veritatis requirit, ut necessitas ponatur intermediae actionis centrorum nervosorum ad cujusdam sympathiae productionem; eadem ratione oportet, ut non solum haud denegetur, organum in nexu sympatico esse posse cum altero per nervosas ipsorum connexiones, verum etiam ut quisque persuasum habeat, hanc sympathiae rationem altera quavis frequentiorem esse. Reapse ex anatomia discimus, multiplices anastomoses, quae inter nervos cerebrales, nec non inter spinales, et utrosque existunt, ac nimirum pariter modum, quo nervus intercostalis sese jungit, ipsorum ramis et varia distributione, a natura casu profecto non determinata, sed evidenti scopo diversas corporis animalis partes simul connectendi. — Huic sententiae pro qua hactenus pugnavi, objici posset, quod si nervi revera sympathiam ducerent, et eo magis si consensus locum haberet ob nervosas communicationes absque influxu alicujus centri nervosi, organa, quae inter se sunt proxima, et ab ipso trunco accipiunt nervos inter se frequenter communicantes, sympathiam inter se praesertim manifestare debere; dum contra extant exempla, quae id numquam contingere ostendunt. Non inficior animadversionem istam observationibus innixam magni momenti esse, sed tamen ad rationes in medium prolatas plane delendas ipsam sufficere non credo. Ad summum

demonstrat, nos plurimis adhuc notionibus egere, ut absconditas detegamus relationes, quae inter res externas, et diversas organismi partes, seu potius vitales ejus proprietates existunt, quorum ignorantia obstat, ne phaenomena omnia rite possint explicari, et saepe illi qui inconsulto judicia proferunt, observationes etiam indubias negant, vel saltem debitam iis fidem non praestant. Hinc pro natura rerum istarum concludere me posse arbitror: 1. sympathiae exercendae systema inservire nervosum; 2. partem aliquam cum altera sympathiam habere ob nexus quibus nervi prioris partis cum illis alterius communicant, absque eo quod nonnullis in circumstantiis de actione dubitari possit intermedia centrorum nervosorum.

De sympathia inter canalem gastro-entericum et caput.

Facile est animo concipere magnum consensum, qui inter canalem gastro-entericum et caput esse debet, dummodo doctrinas aliquas anatomico-physiologicas in memoriam revocemus. Anatome nos docet, canalem istum pedes viginti quinque ad triginta longum esse, membranas interiores intestinorum magnam exhibere quantitatem plicorum, quae valvulae conniventes audiunt, ex quibus numerus ingens villorum intestinalium se extollunt; et ideo unicuique facile est videre, quam sit extensa superficies membranae mucosae, per quam innumerae propagines nervosae

quocumque reptant. Ventriculus accipit nervos a decimo pari cerebrali atque ab intercostali, et intestinum tenue ac crassum ab hocce ultimo dumtaxat, excepto intestino recto, cui nervi a spinalibus etiam derivantur; deinceps ab ipsa anatome discimus, multiplices anastomoses inter nervum intercostalem, et nervos cerebrales atque spinales existere. Si huic partium distributioni addamus sequentes animadversiones physiologicas, nempe membranam mucosam tubi gastro-enterici relationes continuo habere cum rebus externis, scilicet cum alimentis, potu, aere etc., et tubum gastro-entericum esse organon a natura functioni oeconomiae animalis praestantissimae atque essentiali, nempe digestioni dicatum, facile est, uti superius dixi, animo concipere multiplices et miros consensus, praesertim in adversa valetudine, qui existere debent inter canalem gastro-entericum, et corpus omne, et praecipue caput. Ut magis haec veritas eluceat, summatim offeram seriem morborum, quibus partes capitis diversae afficiuntur, et a morbosis conditionibus tubi digerentis pendentium, atque hinc sympathiam inter haec organa manifestissime demonstrantium.

Cerebri affectiones sympathicae. Galenus jam demonstraverat mirum influxum stomachi in caput; si ipse irritamento afficiatur, is ait, lethargus, apoplexia etc. nascuntur. Talis et tantus est consensus tubi illius cum cerebro, ut inde clariss. Baccon intulerit, hoc in illius tutela esse, et Helmontius dixerit, facultates intellectuales se-

dem in stomacho habere. Reapse omnibus innotescit, alimenta nimia quantitate, vel difficilis digestionis sumpta, actionem vitalem stomachi perturbare, et inde facultates mentales saepe saepius infringi. Sed aliis gravioribus morbis haud raro cerebrum laborat ob vitia intestinorum, uti sunt cephalaeae, adfectiones soporosae, apoplexia ipsa, pervigilium, deliria et mania. Cephalaea vel interna, vel est externa. De illa, uti communiori, hic tantum loquar: ipsa haud semper idiopathica est, verum etiam consensualis a statu morboso tubi gastro-enterici. Galenus sane testatur, se pluries observasse cephalaeam recentem vel chronicam a sordibus, a tenaci pituita, a bile alterata, quae stomachum irritabant, expulsione substantiarum istarum prospere curari. Ab ipsa causa originem ducunt cephalaeae, quibus vexantur illi, qui gravioribus animi pathematibus sunt obnoxii. Hoffmann harum permultas usu purgantium mitigavit, vel prorsus devicit. Maxime frequentes sunt cephalaeae symptomaticae in febribus ab irritatione et phlogosi hepatis vel stomachi oriundis. Tissot refert, illos qui febre biliosa lausanniensi corripiebantur, saevissimum capitis dolorem passos fuisse.

Vitia organica tubi intestinalis cephalalgiam ob consensum inducere valent. Hildanus historiam refert sequentem: Juvenis quidam saepe cibis vinoque indulgens, spatio mensium decem et octo vehementi cardialgiae cum vomitu et saevissimo capitis dolore obnoxius fuit. Tandem vita deces-

sit. In cadaveris sectione inventum est latum vulnus in regione cardiae, et ventriculus humoribus corruptis onustus. Boerhaavius refert duas historias soporis profundi a cibis et vino excedenti quantitate ingurgitatis, qui emeticis facile curatus fuit. Ipse auctor vidit puerum tali sopore, ineunte paroxysmo febris tertianae correptum, ut omnes adstantes ejusdem mortem praenunciarent; cum audax medicus remedium purgans ex rheo paratum praescripsit, quod effectus edens salutares timorem ab eorum animo dispulit. Quamobrem magnus Boerhaavius vestigia Hippocratis persequens remedia evacuantia in cura earum adfectionum valde commendat. F. Hoffmann de individuo narrat febri tertiana duplicata laborante, cujus paroxysmi incipiebant sopore profundo, decem horarum spatio durante, et qui remediis plurimis opportune adhibitis fuerunt rebelles; cum vero trihorio ante paroxysmum emeticum pharmacum administratum fuerit, pituitam viscosam, et magnam bilis copiam vomuerit, subsequens paroxysmus mitissimus, et absque sopore fuit. Ipsa apoplexia ab aliqua adfectione morbosa tubi intestinalis haud raro dependet, uti ex cadaverum sectione constat. Aretaeus nos docet apoplexiae facile obnoxios esse, qui cibis et vino nimis indulgent; dein monet, quod alvum in istiusmodi hominibus liberum teneamus. Baglivius quoque remedia emetica et purgantia contra apoplexiam laudibus extollit. Hoffmann aeque emetica pharmaca et clysmata commendat, nam ex illius sen-

tentia inter causas apoplexiae stomachi saburrae principem locum tenent. — Frequens est pervigilium consensuale. Qui vespere cibis indulgent, difficile somnum capiunt. Clariss. Tissot scripsit aegros febre biliosa laborantes torqueri pervigilio, quod remediis tantum evacuantibus cedebat. Idem celebrat. auctor experientia propria edoctus affirmat pleraque deliria sympathica esse: narrat quoque quemdam amicum Rosae derepente loquutum hilariter fuisse de eventibus maxime absurdis: is gravissimas patiebatur anxietates, credens se in mediis inferis positum, ut experiretur quomodo in posterum ibi se haberet: fungis paulo post vomitu rejectis sanitati restitutus est. Boerhaavius ait, saepius deliria in morbis acutis pendere a saburris stomacho inhaerentibus, et nonnisi earum expulsione adfectionem mitigari. Melancholia et mania a vitio tubi gastro-enterici plerumque pendent. Lorry docet, melancholiam a cibis acribus et stomachum gravantibus oriri posse; quod idem confirmatur a Van-Swieten.

Praemissis hisce exemplis quae consensum evidenter ostendunt inter cerebrum et alimentorum canalem, superest ut eorum viscerum communicatio demonstretur. — Stomachus accipit nervos a plexibus oesophageis, qui a pari decimo cerebrali derivantur, et propagines alias a nervo intercostali, qui per intestina quoque ramis suis nervosis distribuitur. Hinc liquido colligitur, stomachum directe communicare cum cerebro per decimum par cerebrale. Viscus autem idem una

cum intestinis commercium habet cum cerebro ope nervi intercostalis, qui non solum anastomosim init cum ramo nervi Vidiani, qui originem ducit a ganglio spheno-palatino secundi rami paris quinti cerebralis, ast per surculos nonnullos primi ganglii cervicalis sese jungit cum sexto nervo cerebrali, quod de septimo et duodecimo nervorum cerebralium dictum volo. Quae connexiones nervosae plus vel minus directae, sane demonstrant rationem et facilitatem, quibus tubus gastro-entericus communicat cum cerebro, ex statuta sententia, sympathias videlicet per nervos et per eorum connexiones locum habere.

Oculi affect. sympath. Magna quidem est sympathia quam tubus alimentorum quandoque cum oculo et partibus accedentibus edit. Musculus orbicularis palpebrarum, nec non musculi oculum moventes convulsionibus corripiuntur, cum stomachus vel intestina irritamento aliquo afficiantur. Neminem latet motibus insolitis agitari oculos infantium, cum eorum ventriculo saburrae inhaerent. Anatome docet, nervum intercostalem directe communicare cum nervo qui musculo prospicit recto externo oculi, et indirecte cum nervis, qui musculos alios ejusdem oculi moderantur, nempe per connexiones cum quinto pari: hinc ratio patescit, qua consensus inter canalem gastro-entericum et varios oculi musculos statuitur. Glandula quoque lacrimalis sympathice adficitur. Epiphorae obnoxii sunt illi, in quibus actio vitalis organorum digerentium perturbatur. Glandula

lacrimalis ramum nervosum a primo quinti cerebralis accipit, et tubus gastro-entericus propagines innumeras ab intercostali, qui cum quinto connectitur: unde nexus organicus qui hunc cum illa jungit. Status morbosus stomachi per sympathiam visum alterare, et etiam delere potest. Saepissime oculorum phlogoses oriri videmus sine externa vel interna causa, si perturbationem canalis alimentorum excipias, qua probe deprehensa, cum apta aegro remedia suppeditantur, facili negotio inflammatio evanescit. Gallenus influxum hunc agnoverat, et observavit a malis stomachi, vertiginem et caecitatem quandoque progigni. Nullum sane est dubium, vertigines haud raro a statu morboso organorum digerentium pendere. Cel. Tissot aegrum describit tabe dorsali extenuatum, cujus oculi valde sensibiles erant, quamvis visu optimo gauderet: verum ad officium aliquod incumbere non poterat, et si cibis indulgebat, vix pericula, quae ambulans nanciscebatur, distinguebat; affectio tamen istiusmodi brevi temporis intervallo perdurabat, scilicet usque dum sordibus stomachus exonerari posset.—Adcuratae observationes clariss. virorum Richteri et Scarpae nos docent, amauroses imperfectas saepius originem ducere a fomite morboso systemati gastrico inhaerente. Sympathia tubi gastro-enterici cum retina explanari non potest nisi per intermedium cerebri influxum, nam fere omnes anatomici connexionem nullam inter nervos ciliares, et nervum opticum invenerunt. Tamen Portal adfirmat a ganglio o-

phthalmico discedere aliqua filamenta, quae cum nervo optico sese miscent. Etsi vero id a nemine fuerit confirmatum, rem facile interpretari possumus: nam ciliares nervi ad oculi sensilitatem et oeconomiam praecipue conferunt, ita ut ab eorum quacumque laesione atrophia oculi ipsius haberi possit. Doctrinam hanc plurimis argumentis confirmarem nisi nimium excresceret sermo. Ergo cum nervus intercostalis ab intestinorum sordibus percellatur, isque cum quinto pari sese jungat, cujus ramus una cum tertio cerebrali ganglium ophthalmicum efformat, unde nascuntur nervi ciliares oculo prospicientes, manifestum est, ab irritatione illa oculi functiones perturbari.

Nasi affect. sympath. Influxus organorum gastricorum in nasum significatur a falsis impressionibus odorum, quae a vitio stomachi saepe oriuntur; nec non a pruritu narium, qui vermibus laborantes torquet. Nervus intercostalis cum nervo olfactorio non jungitur, sed cum illis qui vitae organicae nasi olfactui dicati prospiciunt. Etenim intercostalis jungitur cum ramo nervi Vidiani, qui a ganglio spheno-palatino oritur: e parte anteriori et interna ipsius ganglii discedunt propagines, quae disseminantur per membranam ossa turbinata investientem. Hinc canalis alimentorum relationem directam cum naribus habet. In repetita et incommoda sternutatione si apice linguae anteriorem palati regionem comprimamus pone superiores dentes incisores, in qua regione distribuitur nervus palatinus anterior qui decurrit inter

septum nasi et membranam pituitariam, cessat sternutatio, videlicet pectoris et diaphragmatis convulsio, adeoque eorum nervorum comercium extra omnem dubitationis aleam confirmatur.

Auris affect. sympath. Obsurdescunt saepe ii qui febre gastrica aut petechiali corripiuntur, et auditum recuperant post usum purgantium remediorum. Intercostalis nervus directe cum nervo acustico non jungitur; sed interventu quinti nervorum paris sese jungit cum septimo pari, qui nervos dat diversis auditus partibus. Par septimum seu facialis nervus meatum auditorium ingreditur, et cum ad fundum hujusce pervenit una cum octavo, quin tamen cum ipso se jungat, ingreditur aquaeductum Falloppii, ubi anastomosim init cum ramo superficiali nervi Vidiani, qui a quinto pari oritur. Recurrens per aquaeductum ipsum, et antequam de eo egrediatur, suppeditat filamenta, quae musculis ossiculorum, nec non periostio tympani consulunt; aliqua ex ipsis vestibulum fortasse ingrediuntur, ut membranis labyrinthi interioribus et sacculis prospiciant: propago quae tympani chorda appellatur per fissuram Glaserii sibi viam facit, et cum nervo linguali sese jungit, qui a quinto pari oritur. Par septimum tandem surculum mittit qui exit de foramine stylo-mastoideo, et progreditur ad musculum digastricum, in cujus contextu cum nervo intercostali sese jungit.

Linguae affect. sympath. In illis etiam qui medicinam non faciunt sympathia intestinorum cum

lingua satis nota est. Verum medici cum aegrum invisunt, ejus linguam accurato examini subjicere nunquam negligunt, ut de statu organorum digerentium praesertim judicent. Pars tertia quinti paris nervorum, par nonum, par duodecimum, ramos linguae suppeditant. Propagines rami tertii quinti paris, in apice linguae formant papillas filiformes. Propagines nervi glosso-pharyngei papillas conico-inversas eunt constitutum. Hic animadvertendum est par nonum antequam ad linguam perveniat, duas emittere propagines, quae ad superficiem carotidis proficiscuntur, et contorte descendentes tandem sese jungunt cum surculis primi ganglii intercostalis. Rami denique nervi duodecimi connexiones habent cum ramo linguali quinti paris: aliqui tamen ex ipsis in papillas conicas terminantur. Nervus ergo intercostalis directe se jungit cum nervo quinto cerebrali, et cum glosso-pharyngeo, et indirecte cum ipso glosso-pharyngeo et hypoglosso.

Dentium affect. sympath. Odontalgiae haud raro emetico et purgantibus mitigantur, vel etiam plane devincuntur. Pars secunda quinti paris nervorum dat ramos dentibus maxillae superioris, et pars tertia dentibus maxillae inferioris nervos suppeditat. Consequenter canalis alimentorum per intercostalem nervum in nexu organico cum dentibus est.

Glandularum salivalium affect. sympath. Observamus saepe consensum organorum digerentium. Dum enim causa quaevis stomachum irritat, et

nauseam inducit, saliva copiosior fit: quod ferme constanter ante vomitum etiam, nec non in pueris qui vermibus obnoxii sunt, observatur. E tertio ramo nervi quinti paris glandulae salivales filamenta nervosa accipiunt: ramus cervico-facialis nervi septimi paris cerebralis parotidi, et glandulae submaxillari filamenta suppeditat, dein anastomosim cum tertio ramo quinti paris init. Ex connexionibus istiusmodi patet, nervum intercostalem, cum quinto connexum actionem aliquam exerere posse in glandulas salivales, et indirecte in parotidem, glandulam submaxillarem, et consequenter tubum alimentorum cum iisdem glandulis.

Faciei affect. sympath. Canalis gastro-entericus relationes sympathicas cum musculis faciei ostendit. Pathologia docet spasmum musculorum faciei aliquoties a saburra stomacho inhaerente produci, aut a vermibus in intestinis puerorum nidulantibus. Hippocrates ait tremorem labiorum evacuationes biliosas pronunciare. Boerhaavius animadvertit, tremorem labiorum in febribus supervenientem cum indiciis commotionis significare, intra horam circiter vomitum contingere. Facies accipit nervos a septimo pari cerebrali, a singulis partibus nervi quinti paris, cujus surculi cum ramis septimi paris nunc memorati anastomoses ineunt. Hinc intercostalis cum quinto pari communicans connexionem directe et indirecte cum septimo pari tenet. Consequenter tubus alimentorum ob connexionem istam in relatione est

cum musculis faciei, et relatio istiusmodi directe etiam statuitur per immediatam communicationem, quae inter nervum intercostalem, et par septimum cerebrale locum habet. Quod idem locum habere arbitror, etsi ramos quinti paris per faciem distributos sensilitati praeesse, facialem autem motui musculorum famulari, nuperrime observatum fuerit.

Hinc patet nullum consensus hujus admirabilis exemplum dignitate magis excellere, quam illud quod inter tubum gastro-entericum cum capite intercedit; simulque liquet quantae sit utilitatis medenti sympathias cognoscere earumque instrumenta ad rectam diagnosim concipiendam, ad salutarem therapiam statuendam, atque ad rationalem prognosim pronunciandam.

sis explicat substantiarum eminenter irritantium utilitatem in nonnullis adfectionibus phlogisticis, mutatis verbis reducitur ad mutuam exclusionem quam medici itali statuerunt irritationis et phlogoseos, sub quibusdam conditionibus textus et situs.

IX.

Quas medici systematici proposuerunt divisiones, praestant ex eo, quod clarius et ordinatius quae occurrunt facta exponi possunt; sed damnosae sunt, si tamquam reapse verae considerentur.

X.

Symptomatologiae studium pathogeniae praemittendum.

XI.

Medicus ex doloris saevitie in inflammatione judicium ferre nequit de ejus gradu.